

**1980-06-03 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Singulare Cum Amoris’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

***EPISTULA AD  
FRANCISCUM S. R. E. CARDINALEM MARTY,  
ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM***

Singulare cum amoris affectu hodie ad te mentem convertimus, adventante vitae tunc felici eventu: etenim die XXVIII huius mensis quinquagesimum annum implebis, ex quo, in sortem Domini vocatus, sacerdotium iniisti. Qui dilectionis senses, quo in te ferimur, in recenti itinere, quo loca quaedam Galliae invisisimus, est admodum confirmatus. Viget enim apud Nos memoria hospitalitatis, qua sumus perhumane excepti; praesentes cognovimus egregiam existimationem, qua credentes et non credentes, praesertim vero humiles nati ac tenues, te proseguuntur.

Est ergo iucunda Nobis hunc opportunitas, ut hunc natalem ex animo tibi gratulemur tecumque Domino, omnium bonorum largitori benignissimo, gratias maximas agamus pro tot donis, quae tibi ac per te, «cooperatorem suum in evangelio» (cfr. *1 Thess 3, 2*), diuturno huc tempore tribuit.

Iuvat profecto meminisse te, cum inter presbyteros essemus ascriptus, vires tuas in Christi et Ecclesiae famulatum impendisse; deinde, in Apostolorum successores cooptatum, Ecclesiam S. Flori prius rexisse, delude gregi Remensi cum officiorum diligentia praefuisse, donec e voluntate Pauli VI, Decessoris Nostri fel. rec., praeclera ista Sedes Parisiensis tibi crederetur.

Laudes tuas perstringentes in lumine ponere gaudemus studium, quo commendaris, rei pastoralis et missionalis; qua ex parte etiam memorandum est te olim Praesidem Conferentiae Episcopalis Gallica et Praelatum «Missionis Galliae», quae dicitur, egisse. Peculiari sane cura eos fovisti, qui scholas obeunt; salubriter es annus, ut sacerdotes perenni institutione iuvarentur et cum iis, qui altiores excolunt doctrinas, operam sociarent, praesertim ad quaestiones circa fidem quod attinet; ut laici consentanea sibi munia apostolatus exsequerentur; ut catechesis sedulo traderetur.

Haud equidem ignoramus molestias et aerumnas, quae pastori sunt tolerandae, ut spirituales filios «in Christo Iesu per evangelium gignat» (cfr. *1 Cor 4, 15*). Verumtamen, ut ait S. Carolus Borromaeus, «quam mirabiliter tollit laborem, considerare remunerationem paratam bono Sacerdoti tractanti fideliter ministerium suum» (*Orationes XII*, Romae 1963, p. 150).

Divinae igitur largitatis praemia, quibus iam hic in terris perfri licet, tibi exoptantes, Benedictionem Apostolicam, benevolentiae ac dilectionis Nostrae signum, tibi impertimus; quam etiam ad Auxiliares Episcopos tuos, ad clerum et Christifideles Ecclesiae Parisiensis, necnon ad universos iubilaei tui participes volumus pertinere.

*Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iunii, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostri secundo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**